

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXXXVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Nunc brevitatis amans, ut paucis plurima verbis
 Comprecer, incolumis sit tua tota domus,
 Collegisque tuis eadem precor optima cuncta,
 Hos regat in cunctis, qui regit astra, DEUS.
 Præfens iste novus, lætis successibus, annus
 Transeat, & placido tum quoque sine fluat.
 Flinnerus summum summa qui prædicat æde,
 Thomanamque regens voce sonante plebem,
 Et qui fragrantés, Florus, Negelinus, odores
 Spargunt, cum Thoma, clavigerique duo.
 At reliqui fratres, toto mihi pectore chari,
 Annos grandævi Matthusæclis agant.
 Tu ruber, aut aliter si vis, Erythræe, vocari,
 Sic valeas, validus possit ut esse Valens.
 O tibi lanificæ prolongent fila sorores,
 Vivito Nestoreos, frater amande, dies.
 Vir gravis, Ernesti cui vox benè competit apta,
 Qui simul & regis nomen & omen habet.
 Kyber, Davidicæ percurrens pollice docto,
 Ut Christum resonent, fila sonora chelys.
 Omnibus hi vivant numerisque modisque beati,
 Sint vegeti, validi, corpore, mente, bonis.

Studgardia, Nonis Januarii,
 Anno 68.

Tuus & Vester totus

Wilh. Bidembach, D.



CXXXVIII.

Reverende Vir, frater in Domino mihi & omnibus, qui Christum amant,
 observande. Hesterno demum vespere tuas accepi literas, datas 20.
 Januarii. Itaque ne abiturientes ad Grempianas nuptias absque his literis
 dimitterem, non potui, antequam hæc scriberem, cum Reverendo patre, D.
 Brentio, & reliquis meis Collegis hodie conferre, de M. Flacio Illyrico. Hæc
 tamen festinanter exarare volui, quæ sequuntur, daturus mox (volente Do-
 mino)

mino) plura. Fuit Illyricus hic nobiscum aliquot diebus, mense, puto, Novembri. Ita se gessit, ut grata fuerit nobis consuetudo hominis. Multa cum D. Brentio, plura cum D. D. Jacobo Andreae & mecum contulit. Vidimus zelum, & eum conjunctum cum scientia. Doluimus eum à falsis fratribus ita exagitari, ut vix ei locus tutus in Imperio relinquatur. Nec tamen mirati sumus, calcaneum Christi morderi etiam in hoc viro, sub cujus pedibus Satanam potenter conterit DEUS. Et quod tunc unum potuimus, viaticum ei impetravimus, florenorum decem. Erant enim præoccupati animi quorundam à quibusdam, de quibus scribere non est tutum. Quia verò sciebamus, Domini esse terram, & cogitabamus, Argentinam semper fuisse Asylum calamitosorum hominum, ipsi suasores & hortatores fuimus, (quam & antea spontè illuc propendebat) ut apud Argentinenses refugium quæreret, donec nubeculae minitantes & imbrem & grandinem transirent. Id autem nequaquam suavissimus, si metu ssemus, vel etiam nunc metueremus, eum vel ecclesiae & scholae vestrae nociturum esse. Major enim est *καταγομις* *καὶ συμβουλιὰς* vestrae & nostrae ecclesiae, quam ut vobis serpentem in sinum intrudere vel insinuare velimus. Immo sic cogitavimus, vos vero & vivo membro Christi & utili, (quanquam mutis canibus exoso) servo Christi hospitium præbituros, si Illyrico præbeatis. Monuimus tamen hominem, ut se placidè ac modestè gerat & *τῆς ἰδίου περὶ τὴν* doctrinam necessariam ecclesiae illustret, propaget, & propugnet etiam, adhibito tamen moderamine inculpatae tutelae, hoc est, ne ipse aucupetur & venetur certamina non necessaria, sed ab hostibus illata piè fortiterque propulset, nihil de divina veritate concedens. Pollicitus est, se piæ concordiae in sedandis & componendis PERSONALIBUS dissensionibus nequaquam defuturum esse, &c. Doctrinam nostram de Majestate Christi visus est non satis bene intelligere, nec tamen eam improbat, sed iudicium *ἰσχυρὸν*, monuimus, ut diligenter lectis & ponderatis nostrorum scriptis rem scrutaretur in timore Dei, & suam aliquando data occasione sententiam hac de re plenius & planius explicaret. Ac visus est ipsa in parte doctrinae nostrae profecisse. Tandem illum sic dimisimus, ut hominem consolaremur, ne propter crebra exilia languesceret, aut animo concideret, & simul ad piæ pacis studium adhortaremur. Præstitit se cum in consolatione, tum in admonitione accipienda talem, qualem decebat Theologum. Hæc tum fere nostra fuere cum ipso colloquia, hæc de illo iudicia, breviter, sic iudicamus, nec Argentinam Illyrico noxiam, nec illum Argentinæ detrimentosum futurum esse. Non ignota est amplissima promissio Christi: Qui Prophetam receperit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Itaq; non dubito, quin Argentinæ etiam suum fructum perceptu-

Et sit ex tutela Illyrici. Et preces multorum piorum *τῶν εὐσεβῶν* Illyrico, imo cœlesti veritati, plus proderunt Argentinæ, quam istorum blasphemie oberunt, qui Sanctum Lutherum, si non confixerunt tamen sepelierunt. Quos intelligam, nosti. Nam alios apertè Cinglianos & omnes eorum calumnias ac mendacia, ex quibus conflati sunt, nemo pius vel tantillum curabit. Immo in honorem & amorem D. N. Jesu Christi, & in odium contemptumque Diaboli, fovendi ac defendendi sunt ii, quos ista organa Satanæ persequuntur. Scilicet Vermiliis, Zanchis, & nescio quibus aliis ecclesiæ vomicis ac ulceribus, non Argentinensis tantum civitas, sed ipsæ etiam docentium cathedræ quondam patuerunt: nunc soli Illyrico nec unda nec aura concederetur? Argentoratum non est à C. P. ædificatum, nec custoditum, nec donatum, vel dotatum; cur ergò in aliena Rep. leges distabit, vel quomodocumque curiosus erit? Et in ecclesiâ non est novum quod, non omnes electores sunt electi: nec semper vincunt, qui à victotia nomen habent. Sustineamus tantum, & speremus in nostro Scheb Limini: & mox videbimus opera DOMINI, quomodo & equum & ascensorem sit dejecturus, &c.

Zanchum gaudeo abiisse in locum suum, hoc est, nidum Schwernerorum & sententiam hæreticorum *ἀποστασίου*. Utinam in hunc lebetem similia frustra omnia conjiciantur!

Sed nunc à Satanæ larvis ad faciem DEI. Die 13. Januarii accepimus Judicium Theologorum in Ducatu Lunæburgensi, de controversia Sacramentaria, deque Protocollo Colloquii Maulbronnensis & subsecutis scriptis adversariis. Id Judicium, non excusum typis, sed mundè descriptum, Dux Lunæburgensis, Wilhelmus, sua etiam addita propria epistola, ad Illustrissimum nostrum Principum misit. Scriptum est Germanicum, disertum & doctum. Probant per omnia Wirtembergicorum (quæ & tua est, & totius veræ Ecclesiæ) sententiam: improbant ac condemnant Heidelbergensium fanaticos errores, & invehuntur acriter in Cinglianas fraudes, ac spirituales astutias in cœlestibus. Clarè fatentur, necessariam fuisse & adhuc esse explanationem Majestatis Christi hominis ad defensionem præsentis corporis & sanguinis Christi in cœna; & protestantur, se ita sensuros & docturos, per DEI gratiam, quoad vixerint. Hortantur, ne multitudine & potentia Zwinglianorum deterriti, vel *ἐν λόγῳ ἀσθενῶν* circumventi, abiciamus defensionem veræ ac necessariæ doctrinæ: venisse ad summum impietatis Sacramentarios, & mox præcipiti casu collapsuros esse. Denique ita se declarant toto scripto, ut Lutheri & Urbani Rhegii, Lunæburgensis olim Superintendentis, discipulos *μαθητὰς καὶ ἀκολουθούς* facile agnoscas. Ita Dominus semper adhuc excitat adoratores scabelli pedum ipsius. Cui sit laus, honor & gloria in omne ævum, Amen. Bene in Christo vale, vir clariss. & pater observandè & frater aman-

amande. Saluta tuos omnes, & ignosce quæso literis currente calamo festinanter ruditerque scriptis. Datæ Sturgardiæ, 27. Januarii, anno 68.

Salutabunt te omnes, quos salvare iussisti, cum illis tuam salutem nunciavero, quod intra paucas horas fiet.

Tuus totius

Wilhelmus Bidenbach, D.

Pancratium meum acriter ut objurges, oro atque obsecro. Nam per hoc semestre, quo apud vos fuit, absumpsit quinquaginta & tres florenos. Nimis profectò grande debitum. Vestes, quas tu mediocres esse voluisti, paravit supra modum preciosas, ita ut Mercatori, 20. florenos vij. batzios, Sartori autem (qui & ipse repræhensionem meretur) tres florenos debeat. Cura quæso per Pædagogum & Vicepædagogum, ne quid emat mutueturque amplius. Nam & vestium & librorum nunc satis & abundè satis habet. Oro etiam te, ut illum ad crebram lectionem Bibliorum & frequenter habendas conaciones incites, impellas, urgeas. *Er soll kein Juncker seyn / oder soll unser Beter nit seyn.* Hæc (iterum oro) dicas & inculces ipsi, quam potes, severissimè. Erimus grati, & erga filios tuos compensabimus.

CXXXIX.

Salutem in Christo.

Meministi, ut opinor, Reverende & clarissime Vir, Domine & frater honorande, intercessionis meæ, quæ Eslingæ pro honestissimo Juvene, Johanne Piscatorio, est facta; hujus te denuo per has literas commonefacere volui, ne multitudo & varietate negotiorum distractus, ejus obliviscaris. Juvenis est valde pius, studiosus, honestus, & dignus, cujus studiis omnes faveant, quem spero & Ecclesiæ Dei præsidium & Academiæ vestræ singulare ornamentum futurum. Quapropter rogo, ut pro ipso quoque intercedere non dedigneris, ut quæ te authore & fautore hucusque deduxit, studia sua, feliciter perficiat. Postquam mihi medicocris quies à Cinglianis concessa & quasi induciæ factæ, cœpi aliquid contra Turcicum Alcoranum meditari. Institutum meum confirmavit haud ita pridem Reverendus Vir, D. Matthias Ilyricus, Pannonico quodam scripto transmissio, quod Sabellianam hæresin sapit, & Arianismum apertè adstruit. Dabo operam, Domino volente, ut negotium scripturæ testimoniis firmatum populariter explicem, ut pii in vera fide confirmentur, & impietas refutetur. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingæ, 9. Februarii, 1568. Clarissimo viro, D. Johanni Sturmio, Rectori, &

LI

Colle-